

1287, juliol, 7

*Arnau de Camps i Bernat de Camós, marmessors de Pere de Fontclara, permuten amb Arnau Rafart el domini directe sobre el mas de Palau Sacosta que havia estat de Pere Ramon de Carrera, per. una casa situada prqp de l'església de Sant Feliu de Girona i 150 sous.*

ASD núm. 270, perg. orig., 480 x 255 mm, carta partida.

Sit omnibus notum quod nos Arnallus de Campis, clericus et procurator elemosine quam Petrus de Fonteclaro condam instituit in ecclesia Sancte Marie Puellarum Gerunde et Bemardus de Camonibus, ciuis Gerunde, manumissores seu executores testamenti dicti Petri de Fonteclaro, per nos et per omnes successores nostros tenentes dictam elemosinam permutamus . seu scambiamus tibi Arnallo Raffardi, ciui Gerunde et tuis et cui uolueris in perpetuum totum ius et directum dominium et tercia, laudismia et foriscapia et omnia alia que predictus Petrus de Fonteclaro habebat et habere seu recipere debebat in ornnibus terris et possessionibus et honoribus quos pro ipso tenebas in manso tuo de Palacio qui fuit condam Petri Raimundi de Carraria. Predictum quidem ius et directum dominium, tercia, . laudismia et foriscapia et omnia alia que dictus. Petrus de Fonteclaro uel nos post ipsum habebamus, accipiebamus uel habere seu accipere debebamus in omnibus terris et posesionibus quos pro ipso Petro tenebatis apud Palacium, in parrochia Sancti Felicis Gerunde, cum omnibus proprietatibus et integritatibus suis et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et de cetero faciendis et sicut melius et titilius possit dici uel intelligi ad tuum commodum et sarium intellectum, sic predicta omnia tibi et tuis permutamus et scambiamus pro quibusdam casalibus que tu ?abebas iuxta cimiterium Sancti Felicis Gerunde et pro centum quinquaginta solidis barchinonensibus monete de temo, quos in denariis confitemur a te habuisse et recepisse et illos dedisse in empcone quam fecimus de fabrica de Uilalbino ad opus dicte elemosine, renunciando excepcioni non receptorum casalium et non numerate et non recepte pecunie et doli. Et si amplius inde habere deberemus, totum tibi et tuis damus et èoncedimus donacione irreuocabili inter uiuos, renunciando scienter beneficio et auxilio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur et excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alii iuri scripto uel non scripto contra hoc uenienti. Et ideo omnia predicta de nostro nostrorumque successorum iure, posse et dominio eicimus penitus et extrahimus, eadem in tuum et quorum uolueris ius, posse et dominium libere et quiete penitus transferendo. Et constituimus nos predicta omnia tuo nomine possidere uel quasi donec eorumdem acceperis corporalem possessionem, quam tua propria auctoritate quando uolueris possis accipere et deinde tibi et tuis perpetuo retinere, et habere omnia predicta ad omnes tuas et tuorum uoluntates perpetuo faciendas sine aliquo retentu quem in predictis non facimus. Et promitimus tibi et tuis quod predicta omnia faciamus tibi et tuis tenere et habere in pace et esse inde tibi et tuis deffensores et guirentes contra cunctam personam. Uerumtamen, si aliquis in predictis aliquid tibi uel tuis tetigerit, contradixerit, emparauerit, forifecerit, demandauerit siue aliquam questionem uel demandam contra te uel tuos racione predictorum fecerit siue mouerit,

nos et successores nostri ante ingressum litis statim promittimus ante te et tuos ponere et honus litis super nos et successores nostros recipere et totam causam ducere ad effectum a litis principio usque in finem et inde te et tuos indemnes seruare in curia et extra curiam et cunctis aliis modis cum nostris propriis sumptibus et expensis, ac etiam omnia dampna et expensas que et quas inde feceritis tu et tui aliqua ratione promittimus tibi et tuis restituere, et inde credamini uestro simplici uerbo, sine testibus et iuramento. Et pro hiis omnibus tibi et tuis attendendis et complendis et pro euictione et omni interesse obligamus tibi et tuis omni bona dicte elemosine et omnia bona mobilia et immobilia que fuerunt dicti Petri de Fonteclaro ubique; tamen non obligamus tibi aliqua nostra bona.

Et ego Arnallús Raffardi predictus, firmans et laudans omnia supradicta, per me et per omnes meos presentes et futuros permuto seu scambio uobis Arnallo de Campis et Bernarda de Camonibus et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam et eidem elemosine perpetuo predicta casalia que habeo in burgo Sancti Felicis Gerunde iuxta cimiterium Sancti Felicis, et tenentur per dominum episcopum Gerundensem, et affrontant ab oriente in carraria, a circio in domibus tui dicti Arnalli, a meridie in quibusdam casalibus ecclesie Sancti Felicis et ab accidente in cimiterio, et centum quinquaginta solidos barchinonenses monete de terno in denariis numerando quos dedistis in dicta empzione fabrice de Uilalbino. Predicta quidem casalia et dictos denarios cum exitibus et intratibus, pertinentiis, possessionibus, parietibus, fundamentis, sufferimentis et cum omnibus suis proprietatibus et integritatibus et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et de cetero faciendis et sicut melius et utilius ad uestrum et successorum uestrorum tenencium dictam elemosinam comodum et utilitatem possit <lici uel intelligi, sic predicta omnia uobis et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam permuto et scambio pro iure et directo dominio et terciis, laudisimis et foriscapiis et aliis omnibus que dictus Petrus de Fonteclaro uel uos post ipsum accipiebatis uel accipere seu habere debebatis in omnibus terris et possessionibus quas pro ipso Petro tenebam, ut superius dictum est, renunciando excepcioni rei non habite seu etiam non recepte. Et si amplius inde habere debebam, totum uobis et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam dono et concedo donacione irreuocabili inter uiuos, renunciando scienter beneficio et auxilio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi subuenitur et excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alii iuri scripto uel non scripto contra hoc uenienti. Et ideo omnia predicta de iure et dominio meo et meorum eicio penitus et extraho, eadem in uestrum et successorum uestrorum tenencium dictam elemosinam ius, posse et dominium libere et quiete penitus transferendo. Et constituo me predicta omnia uestro nomine possidere uel quasi donec eorumdem acceperitis corporalem possessionem, quam uestra propria auctoritate quando uolueritis possitis accipere et deinde uobis et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam perpetuo retinere, ad uestras uoluntates perpetuo faciendas, saluo in omnibus iure dicti domini episcopi, cui dabitur annuatim pro censu duos denarios et obolum barchinonensis monete de terno in festo Natalis Domini, sine aliquo retentu quem in predictis non facio. Et promitto uobis et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam quod predicta omnia

faciam uobis tenere et habere in pace et esse inde uobis et dicte elemosine deffensor et guirent contra cunctam personam. Uerumtamen, si aliquis in predictis aliquid uobis uel dicte elemosine tetigerit, contradixerit, emparauerit, forifecerit, demandauerit siue aliquam questionem uel demandam contra uos et dictam elemosinam racione predictorum fecerit siue mouerit, ego et mei ante ingressum litis statim promitimus ante uos et dictam elemosinam ponere et honus litis super me et meos recipere et totam causam ducere ad effectum a litis principio usque in finem et inde uos et dictam elemosinam indempnes seruare in curia et extra curiam, in placito et extra placitum et cunctis aliis modis cum nostris propriis sumptibus et expensis, ac eciam omnia alia dampna et expensas que et quas inde feceritis uos et dicta elemosina aliqua racione promito uobis restituere, et inde credamini uestro simplici uerbo, sine testibus et iuramento. Et pro hiis omnibus uobis et dicte elemosine atendendis et complendis et pro euictione et omni interesse obligo uobis et successoribus uestris tenentibus dictam elemosinam et eidem elemosine me et heredes meos et omnia bona mea habita et habenda ubique.

Actum est hoc nonis iulii ano Domini .MCCLXXX. septimo.

Sig+num Arnaldi de Campis, sig+num Bernardi de Camonibus, sig+num Arnaldi Raffardi, predictorum, qui hoc firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Petrus Costeya, spaerius et Raimundus Tortoza, sabaterius Gerunde.

Sig(s. man. )num Petri Burgesii, qui hoc scripsit mandato Raimundi de Toyloano, publici Gerunde notarii, cum suprascripto in .xm. linea, ubi dicitur "successorum". Eg(s. man.)o Bisullunus Burgesii, terrens locum Raimundi de Toyloano, publici Gerunde notarii, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 563-567